

riter exercitati essent, ministerio se initio, in inferiori gradu, consecrârunt, Diaconorum aliquantisper munere perfungendo, cum alibi, tum apud nos quoque, donec cedentibus ijs, quibus *ᾠδὴ σίπυς* prius fideles sese præbuerant, concordibus præbyterij & amplissimi magistratus publici suffragiis, autoritate illustrissimi Electoratus Saxoniae comprobatis, commissas sibi habenas moderationis rei Ecclesiasticae, ille totius, hic certae partis ad D. Nicolai capefferent, & quidem exemplo Basilij & Gregorij, hos honores non persecuti, sed ab honoribus quaesiti, eosque favore non humano tantum, sed divino quoque consecuti, & quod præcipuum & *ἀξιόλογον* in primis de nostris est, similiter tempore harum Ecclesiarum minimè tranquillo.

In his autem muneribus administrandis quales se hæcenus, DEI beneficio, gesserint & præbuerint, res & experientia ipsa testatur, ad cuius testimoniū provocare me longè satius fuerit, quam longè petitas & operosas probationes aliunde cōquirere. Quis enim est? qui non crebrâ auscultatione concionum utriusque edoctus & convictus fateatur, eos non modò *ἀπτεχομένους* esse τῆ *πιστῆ λόγῳ* sed etiam *διωατῆς* τῆ *ᾠδῆς* καλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆ ὑγιαίνουσης, καὶ ἰπιστομίζειν τῆς ἀπτελέγοντας, id quod in Theologo potissimum requirit Apostolus.

Cum autem duo veluti crura sint ministerij, quorum unum ministro si desit, altero ille quasi crure claudicat, & unâ manu extractum, ut veteres loquuntur, altera destruit, nemo est, qui negare ausit, cum